



NOBILIBVS, CLARISSIMIS,
PRVDENTISSIMISQVE VIRIS, AC
DOMINIS CONSVLIBVS, PROCONSVLIBVS, CÆTERIS-
QVE SENATORIBVS SACRI ROMANI IMPERII
ciuitatis Colonienſis Agrippinæ,

IOANNES DE CASTRO S. P.



ETVS hac conſuetudo eſt, ampliffimi, prudentiffimiq² viri, vt, qui
aliqua ingenii induſtriaq² ſua ſpecimina in publicum emittunt, ea
magnis viris dedicent; eaq² oblatione partim ſuam erga illos obſer-
uantiam & ſtudium declarent, partim eorum beneuolentiam ac fa-
uorem aucupentur; quin & monumenta ſua eorundem patrocini-
o aduerſus iniquorum obtreſtationes muniant. Cum igitur & ego in iucundiſſimo Muſices ſtudio

EPISTOLA DEDICATORIA.

mea industria documentum aliquod in lucem edendum existimarem, eiq₂ idoneis patronis opus esse cernerem; non potui aptiores quam Vos in hoc rerum publicarū theatro patronos circumspicere. Ut enim taceam harmonicam politiae concinnitatem, qua multis magnisque ciuitatibus urbs vestra sic pralucet, ut toto orbe celebratissimum eius per multa iam secula nomen sit; omnia scientiarum genera, liberalia praesertim, sicut summo semper fauore complexi estis, ita etiam magnis honoribus semper ornauistis. Testantur id scholae; testantur tot eruditionis virtutumq₂ studii dicata collegia: testantur quae longe lateq₂ per totam Europam ex urbe vestra promanant omnis generis doctrinae monumenta. Cuius magnificentiae consideratio quam magnam in animo meo admirationem excitauit, tam ardens etiam sui studium in me accendit. Ac diu sane hanc obseruantiam meam magnificae amplitudini vestrae luculento aliquo argumento probare cupiui: sed aliās alia mihi hucusq₂ obstitit fortuna. Tandem cum haec quinq₂ uocum Moteta studio & diligentia non vulgari confecissem, eorum dedicatione meum uobis animum patefacere uisum est. Vos pro singulari humanitate vestra, munusculum hoc, quam deuota offertur obseruantia, tam prolixa benignitate accipere dignemini. DEVS opt. max. in pia feliciq₂ rerum administratione uobis uestraq₂ reipublicae magis ac magis benedicat.